C. In nomine sancte et individue trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Cum imperialis providentie clementia omni debeat imperio gubernationi commisse provincia, spiritualibus religiosisque tam personis ac ipsorum locis cultus divino mancipatis, universis imperiale condecet et preeminentius adesse tutam, quatinus religionis suscepte tranquillitas malignorum hominum nullo quandoque turbari possit incursu. Qua propter noverit presens etas et omnis secutura posteritas, nos claustrum quod dicitur Burnebach cum omnibus eius personis, rebus, et cum universis possessionibus tam cultis quam incultis, quas deo propitiante nunc possidet aut in futurum largitione regum vel principum, concessione pontificum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, prestante domino poterit adipisci, in imperiale tuitione omnimodaque defensatione suscepisse. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Ex dono Billungi de Lindinvels et Sigebodonis de Zimbera et Beringeri de Gamminburch, castrum Burnebach cum appenditiis suis cultis et incultis, et villam Meisinheim et villam Bietinhusin. Ex dono Arnoldi Maguntini archiepiscopi Aldenburnebach. Ex dono comitis Wolframmi de Wertheim et fratris eius Dietheri, partem ville Lullingescetth et Tulleburnen et Griezheim cum ecclesia eiusdem loci et duo iugera vinearum in Maslbach. Ex dono sororis eorum Adele talentum unum singulis annis in villa Sterbach. Denique quicquid predictis fratribus de Burnebach donatum est vel quod ipsa fratres mercati pecunia in curia Aldenbibeloz que sita est in Hartdorph, in Hephinheim, in Cella, in Heimbach, et quicquid eis Billungus de Lindinvels constituit in Bergstrazin, quicquid etiam donatum est vel emerit in curia Lenginvelt, in Barga, in Wissincheim, in Kenninchein, et omnia eorum mancipia. Sane quod Romani pontifices auctoritate sacra canonum eis concesserint, ut novalium suorum que propriis manibus aut sumptibus colunt, sive de nutrimentis animalium suorum vel arboribus vel ortis nullus ab eis decimas presumat exigere, hoc ipsum imperiali auctoritate ipsis constitutum firmam et irrevocabiliter perpetuo corroboramus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat supradictum monasterium temere perturbare aut de eius possessionibus auferre vel ablata retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum quecumque imperii nostri persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita nisi presumptione sua congrua satisfactione illico correxerit, imperialis maiestatis rea cum omnibus que possidet imperii proscriptione dampnabilem se fore cognoscat. Ut autem hoc factum apud omnem posteritatem ratum et inconvulsum permaneat, hanc cartam nostre imperialis auctoritatis sigillo insigniri iussimus et corroborari. Huius autem rei et confirmationis testes sunt: Heroldus Wirzeburgensis episcopus, Richolfus maior prepositus, Magister prepositus summus decanus, Iohannes scolasticus et Reinardus prepositus novi monasterii et Magister Heinricus protonotarius, Gartwardus de Grunbach, Cunradus de Pfinzache et frater eius Heinricus, Sigebodo de Zimbera et frater eius Uragebodo, Beringerus de Gamminburc, Comes Pobbo de Wertheim, Billungus de Lindinvels et alii quam plures.

Signum domni Friderici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Christianus imperialis aule cancellarius recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M.C.LX.V. indictione terciadecima.

Regnante Frederico Romanorum imperatore victoriosissimo. Anno regni eius terciodecimo et imperii eius XI.

Data Wirzeburch XVIII. K. Iulii.